



27.

AD
LVSATORVM
REM DIPLOMATICAM
OBSERVATIONES,
SPECIMEN SECVNDVM,

AD
VIRVM MAGNIFICVM ATQVE EXCEL-
LENTISSIMVM
ANDREAM GOTTHELF
RACHLIZIVM,

IVRECONSULTVM CELEB.

CVM
PRO - CANCELLARII ILLI MVNVS
IN
SVMMA APVD LVSATOS PRAEFECTVRA
DEFERRETVR,

AVCTORE
CHRISTIANO GOTTFRIDO MEISNERO,
PRAEF. BVD. ET GORL. ADV. ORD.

A. O. R. clōlō cclxv. MENS. MART.

LAVBANI,
EX OFFICINA SCHILLIO - SCHARFIANA.

HORAT.

*F, bone, quo virtus TVa TE vocat, i, pede fausto,
Grandia laturus meritorum praemia . . .*



L. Y. 75.35

VIR Magnifice, atque Excellentissime,
PATRONE summo officio colende,



Cum iam eo consilii mei inconsiderata forsan progressa esset temeritas, vt ad TE amplissimis nuper hac in prouincia honoribus decoratum, meae in TE obseruantiae atque officii documentum deferre publice, statuerem; minus mihi hoc tempore, quid scriberem, quaerendum videbatur, quam quo velut optimo meae voluntatis interprete, conciliatore TVae, et orationis vterer et argumenti genere. Quamquam enim mihi incautius agenti, nihil a TVa humanitate timendum esse suspicabar, (solet enim, vt est plane eximia, ita aliorum indulgentissime ferre imbecillitatem): tremebam tamen animo, ne forte, quae essent a me ad conciliandam quam maxime tuendamque insignem TVam beneuolentiam dicta, ad imminuendam eam abalienandamque a me magis valere iudicarentur. Erat locus magnificus sane temporique optime conueniens, in laudes se atque praedicationem eius Viri effundere, de cuius doctrina, prudentia, rerumque usu, animi inprimis excellentia et integritate, tam praeclarum fecit *Perilluster huius Prouinciae Pro-Marcio* iudicium, vt eas virtutes haud amplius in

tenebris vellet latere et abditas esse, sed in luce totius Lusatiae, in oculis clarissimae prouinciae, in auribus omnium ciuium et incolarum versari. Quid enim et ei, qui grauisimo in Republica muneri eiusmodi Virum sapientissime praefecit, et ei, qui dignissime praefectus est, inueniri potest ad existimationem honorificentius, ad celebrationem vberius et ad sempiternam gloriam optabilius? quid ciuibus frugiferum magis et patriae gloriosum, quam proponi oratione non ad effigiem modo iusti probique viri, sed ad veritatis fidem expressum, quod intueantur omnes, admirantur et imitentur, domesticum intelligentiae virtutisque et iustitiae exemplum? Quo accurate perspecto, intelligeretur simul, quam in eo prouincia futuri temporis spem collocaret et fiduciam, de quo sic semper esset ab omnibus existimatum, vt in gerendis tam publicis quam priuatis rebus diligens et strenuus, in sustinendis constans atque fortis, in susceptis vti prouidus, ita in perficiendis felicissimus et haberetur et esset. Pateret etiam, contigisse Viro raram illam quidem, at maxime expetendam felicitatem, vt cum ad diuinam praeceptorum normam vitam moresque omnes dirigeret, Christianique eum nominis haud puderet, probabilis omnibus videretur et amandus, iis vero familiaris, quos ad summam apud Lufatos dignitatem, *Illustrissimi Principis* euexit iudicium. His et aliis infinitis argumentis, quae posunt ab egregia TVa in amicos et necessarios fide, in egenos et inopes miseratione, in consulentes facilitate, in omnes humanitate ad TVam, *Vir Magnifice*, laudem traduci: habuissem, quibus, tamquam luminibus meam qualemcunque ornarem atque distinguerem orationem. Verum enim vero, nisi ipsa meae tenuitatis conscientia deterruisset, qua summum et in Republica et inter necessarios et amicos, domi forisque Virum, ego et honore et dignitate et ingenio infimus, vti par est, laudare, haud sustinerem: certe singularis TVa reuocasset modestia, cuius proprium esse videtur, vt quae de TE tam vere, quam honorifice praedicare liceat, ne ea quidem libenter afferri patiatur. Iam continere me gratulationis, TIBI minus, quam Patriae TVa
causa

causa faciendae, testificandique mei in TE officii finibus et huius vnus desiderii, quod in tuenda TVa quasi habitat benevolentia et recreatur, quamuis hanc ipsam latius mea cura et prouidentia patere prouinciam animaduertentem: verebar tamen, ne hanc solam rationem secutus, temporis, quam TVi studiosior existimarer, ex eoque hominum genere, qui priuatum non fere quemquam, iudices publicisque muneribus praefectos semper omnes amant. Accedebat, quod in tanta, qua stipatus appares, congratulantium multitudine et excellentia, mei citius obliuiscendi periculum adesset, qui, cum praeter paternam necessitudinem et coniunctionem, adhuc nihil apud TE habuerim commendationis, hanc omnem iam a TVa spero humanitate.

Quare tandem ad hanc triplicem animum appuli considerationem, qua TV mihi, *Vir Magnifice*, spectandus venires atque colendus, vt Tibi et Iureconsulto, et Pro-Cancellario et Agnato, singulis his personis, nisi is, qui deberetur, (quid enim perfecti a me potest praestari?) talis tamen a me haberetur honos, qualem vel maximum Tibi demonstrare mea tenuitas ferret. *Vti enim veterum TV Iureconsultorum sanctitatem, sapientiam et in audiendo facilitatem, non es modo consecutus, sed plane, addito Christiani nominis decore et humanitate superasti: ita et hoc, quod in antiquitate adolescentibus et iuris studiosis, mihi licere putavi, vt, quantum ineuntis meae aetatis pudor pateretur, ex TE aliquid quaererem, quaerendoque discerem. Subieci igitur disputationi eiusmodi argumentum, quod, minus quidem ex intima iuris doctrina haustum, haberet vero eam cum patrio iure coniunctionem, quae nec maior nec arctior inter parentem posse liberosque cogitari videtur. In Rem Lusatorum Diplomaticam cum nuper inquirere coeperim, eo quidem consilio, vt, quod valde desiderarem, hac mihi via lumen in cognoscendis et illustrandis patriae legibus accenderetur: hunc optimum legitimae doctrinae, vnum verumque fontem pessime ad hunc diem habitum, eiusque et integritatem esse et salubritatem penitus neglectam, moleste tuli. Maiori vero haud scio temeritate, an imprudentia,*

dentia, hanc vlcisci ausus iniuriam, statim de edendis quibusdam
obseruatiunculis cogitau, quae publicam mihi memoriam con-
templanti haud difficulter occurrebant, neque cogitau modo,
sed et edendarum periculum feci, vt ciuibus meis patriaeque
amantissimis pateret, quanta demum viro, si iuueni tanta sit et
scrutandi et scribendi materies ac quasi sylua relicta. Habuit
primum meum periculum testem Patrem, et, antiquo sensu, ad-
uocatum eum, qui vel temporis causa et sua posset auctoritate,
et beneuolentia vellet, mei mihi parere conatus veniam apud
alios atque excusationem. Sed deerat is mihi auctor, patronus
atque arbiter, contra quem non exciperetur: *Si in ea re nihil ne-
cessitudinis causa factum est.* Itaque TE adeundum Virum et
omnis et patrii inprimis iuris Consultissimum, TE eligendum
putau arbitrum, vt, qua vales et intelligentia et grauitate et in-
tegritate, decerneres, quid in meo colendae Rei Diplomaticae stu-
dio et ratione ferendum esset, quid amputandum, qua via, nisi
hac, tutius rectiusue ad ingenuam iuris doctrinam penetrandum,
quidue vel faciendum, vel fugiendum, vt huic disciplinae in se
vindicaretur utilitas, apud alios seruaretur et conciliaretur gratia
atque iuauitas, a cultoribus denique et in posterum legitimum
tempus honosque tribuerentur. Equidem, quo mea progressa
sit in TE onerando audacia, intelligo et erubesco. At TV usta-
lis est animus, vt, quemadmodum TV soles, certissimeque ego
confido, TVi de me iudicii acerbum, quam concitau, seueri-
tatem, maximis indulgentiae et humanitatis condimentis mitiga-
ueris. *Atque* in quo me argumento Iurisconsulti, quo celebrare,
nomen et dignitas, in eodem honoris nuper Tibi delati splen-
dor et amplitudo figere ac locare videbantur. Cum enim Viro
Magnif. RITSCHIERIO, Venerabili seni, ad hanc sis vocatus
muneris communionem, qua coram summo apud Lusatos iu-
dicio, probabilis nemo causisque dicendis aptus posset iudicari,
nisi vtrique Vestrum, id est Viuae Legum Voci, facultatem pro-
bauerit et animum iuris tam docte, quam religiose respondendi;
quamquam de meo animo Tibi constanter et sancte spondere
pos-

possum, a parte tamen ingenii et doctrinae desertus effecisse satis habebō, modo patrii me Tibi iuris studiosum, quamquam non peritum ostendero. Nam vix eum contemnes, in quo, si praeterea nihil, ferendum tamen proficiendi studium et voluntas videtur. *Tertium* denique in scribendo eumque principem et mihi proprium locum tenet illa coniunctio, quam a paterna TEcum necessitudine deriuare mihi contigit, quamque et insignis TVa humanitas et eximia beneuolentia maximam finet atque perpetuam vim ad animum Tibi omnium officiorum religione obstringendum habere. Quamobrem abs me impetrare non potui, vt et qua TE, *Vir Magnifice*, colo pietatem, et quo TVae me curae atque tutelae commendatissimum cupio, desiderium silentio hoc quidem tempore premerem, quo communis fieret omnium laetantium ad TE et gratulantium concursus. Tardius accedo, fateor, sed vt, quem nec loci longinquitas nec tarditas nuntii nec muneris dignitas inter primos esse pateretur, eum non in reliqua officiosorum hominum turba, TVis elapsum oculis perderes, in vltimo potius loco collocatum TVi studiosissimum facilius agnosceres eoque me verius, quo constantius, pie atque hilariter commoueri exstimares. Cuius mei sensus vt firmiter monumentum superesset, hoc quoque mihi sumsi, vt de re ad Lusatos pertinente pro virili exponerem, hac ratione id certe assecuturus, vt, quoties Rerum Lusaticarum cultores, (sunt autem permulti,) meum libellum, vel vt numerum faceret, vel indicis causa in suis ferrent scriniis, toties summae meae in TE obseruantiae et officii rediret memoria. Iam in commemorandis, quae Tibi opto, bonis longum me esse, vti haberet plurimum suspicionis, commendationis minimum, ita hanc breuiter omnium Votorum facio summam, vt Diuinum Numen, cuius TV venerandi tam illustre praebes exemplum, *Patriae TE Patronum* et quasi Tutorem, *TVae Praestantissimae Coniugi* Optimum Socium, TVisque omnibus et clientibus et amicis firmissimum praesidium et ornamentum praeclarissimum, incolumem fospitemque tam diu seruet, quamdiu nec Patriam, nec Coniugem

gem

gem TVam nec reliquos TVos omnes, amare, tueri definet atque fouere. Si quid praeterea valeo apud TE, *Vir Magnifice*, precibus, TE obsecro atque obtestor, ne in tanta et honorum amplitudine et negotiorum copia, solui vinculum, quod fauatrix mihi meisque natura TEcum esse voluit, patiaris, sed arctius, nouo addito perpetui TVi patrocinii beneficio, constringi iubeas.

§. VI.

Indicantur et in varia diuiduntur genera fontes, e quibus Notitia Lusatiae Sup. Diplomatica potest hauriri.

Ex his, quae sunt a nobis ante aliquod tempus disputata, apparet profecto, Lusatiae huic nostrae haud deesse materiam, qua et vtiliter (§. II.) et copiose (§. III.) neque adeo grauate (§. IV.) ad illustrandam Rem Lusatiorum Diplomaticam quis possit vti. Apertos etiam esse a SCHÖTTGENIO, edito *Inuentario Diplomatico*, optimos quosque tabularum publicarum fontes (§. IV.) grata memoria sumus profecuti, hoc tamen tribuentes veritati (§. V.), vt nec omnia potuisse SCHÖTTGENIVM diplomata comprehendere, quia et latebant et ferius diuulgabantur, nec voluisse, quia ad edita modo respiciebat, diceremus. Ordo iam et ratio postulat, vt fontes ipsos, et riuulos, SCHÖTTGENIO celebratos intueamur, scrutemur, et ad patriae vsum quemadmodum sint accommodandi, ostendamus, addamus denique, quorum spectandorum adiiciendorumque aut copia illi Litteratissimo Viro defuit, aut voluntas. *Duplicis* autem sunt fontes *generis*. *Alterum* est eorum, qui nihil habent alieni permistum, *alterum*, qui habent plurimum. *Illud* emanare atque diffundere se animaduertimus ex istis libris, qui hoc vno continentur, vt publicas huius nostrae Superioris Lusatiae tabulas memoriae posteritatisque tradant. *Hoc* excidere quasi guttatim et delabi ex aliis, quibus aut singulas modo, aut perpaucas et vnius generis, aut varias variarum prouinciarum, aut in transcurso et omnes et singulas, vel afferre, vel illustrare, vel commemorare tantum propositum fuisse videtur.

tur.

tur. Quo minor autem est prioris generis auctorum numerus, qui Lusatiam Diplomaticam sistere in animo habuerint, quorum praeter Generos. ROEDERVM, HOFFMANNVM et Corporis Iuris Lusatiae Collectores, neminem nouimus; tanto maior est eorum caeterua, ut centum et quinquaginta amplius Scriptores complectatur, qui membra quasi et particulas protulerint, quibus collectis sciteque ordinatis Corpus posset ad egregiam pulchritudinem et conuenientiam formari. Neutrius nunc ordinis cum bibliothecam instruere libeat; quia et longum foret, et molestum locumque, mea quidem sententia, magis fortietur opportunum: hanc nobis modo concedi potestatem volumus, ut de eo, quem Rei Diplomaticae apud Lufatos in formam redigendae inter paucos principem et ducem existimamus, libere vereque disseramus.

§. VII.

Rederianum Opus Diplomaticum, et Auctoris Laudes.

Facile intellexerit, quisquis rerum patriarum non sit plane ignarus, digitum, ut dicunt, hoc nos elogio intendere ad Virum Generos. NICOLAVM SIGISMVNDVM a REDERN et PROBISHAYN, qui Anno 1724, quaternis, huius indicis librum edendum curauit: *Lusatia Superior Diplomatica, das ist: Oberlausitzische Sammlung von verschiedenen dieses Markgrafthum betreffenden auserlesenen, auch zum Theil noch nie gedruckten Kayser und Königl. Böhmischen Diplomaten, Privilegien, und andern wichtigen Documenten von A. C. 1000 bis 1622. Nebst nöthigen Summarien und Register, dem Publico zum Besten an das Licht gegeben von Nicklas Sigismund von Redern und Probishayn. Hirschberg, gedruckt bey Dietrich Krahen, 1724.* Altera Pars, cuius colligendae Auctor Viris fide et memoria dignissimis a) traditur Io. CASPAR GEMEINHARD, Medicinae Doctor et apud Laubanenses olim Practicus, sic inscribitur: *Lusatia Superior Diplomatica continuata, das ist: Fortsetzung Oberlausitzischer Sammlungen von verschiedenen dieses Markgrafthum*
B *betref-*

a) Oberlausitz, Beyträge Tom. IV. 6tes Stück, p. 95.

betreffenden auserlesenen, auch zum Theil noch niegedruckten Diplomaten, Privilegien, und andern wichtigen Documenten, dem Publico zum Besten hiermit ans Licht gestellt Anno 1734. 410. Habet hoc commendationis multum, plurimum admirationis, quod eo tempore, vbi hoc litterarum genus vix in vfu coeperat esse atque honore, iis moribus, qui nobili loco natos, magis etiam hac nostra aetate, a puluerulentis eiusmodi studiis arcebant, soluto iam vinculo, quod cum Lusatia alias Silesiam coniunxerat, Eques Silesius, Lusatae nec beneficiis, quod sciam, vllis obstrictus, nec honoribus decoratus, tanta in Patriam tamque propensa animi fuerit voluntate, vt publica documenta non leuia ea et facile contemnenda, sed ea congregaret, satisque probabiliter ex temporum ratione collocata ederet, quibus tamquam fundamentis niteretur Lusatae Superioris praesens conditio, salus atque libertas. Cui meae de his, quae priori Tomo insunt, diplomaten opinioni vt fidem faciam, vel iudicia et litteras Ferdinandas et Maximilianas b) commemorasse, satis habeo.

§. VIII.

Rederus Notatus.

Sed veniam dabit et ipse REDERVS et quicumque in hunc libellum inciderit, si, quantum ipsius in Patriam meritis dederim, vt et auctorem et opus laudarem, tantum et veritati tribuam et doctrinae dignitati, nostrae denique apud exteros existimationi; vt, quae habere aliquid in eo reprehensionis, mihi videbantur, ingenue, vti soleo, confitear et diligentius persequar. Neque enim, cum in eo essem, vt quae de REDERO eiusque opera sentirem, mihi necesse esset palam explicare, hanc credidi meae aetati conuenire vitiosam modestiam, hoc in praeceptores meos contumeliosum silentium, vt, quae vel tirones nullo negotio, ne me ea quidem scire aut videre fingerem. Quare hoc tibi, Redere, iure relicto, vt quae habeas, contra dicas, non nego et in

b) n. xxiii. Libell., oder Decret Kayser Ferdinands in etlichen Irrungen d. a. 1544. p. 51. n. xxiv. Ferdinandi Privi-

legium der beschuldeten Landassen Güther und des Vorritts halben a. 1544. p. 119. n. xxxvii. Kayserl. Obergerichts-Concession

et in toto tuo instruendo labore et in singulis partibus, excidisse tibi multiplicia, quae uti a communi utilitate tuoque ipsius consilio longe abesse videntur, ita non displicere modo rerum peritis, sed patriae quasi luminibus, i. e. diplomatibus, valde etiam officere, saepissime audiui et expertus sum. Commisisti enim, ut, litterarum publicarum exemplis tua cura et opera editis, nulla fides, certe non legitima haberetur; qua sublata duos te Rei Diplomaticae oculos effodisse existimeris. Quid? impune te laturum largientur, quod 1) antiquum scribendi modum, Orthographiam appellant, ad huius nostrae aetatis consuetudinem omnino conformaris, cum si quid vel maxime vitiosum, sit tamen, quia vetustum, studiose retinendum? Neque sunt largiti, quamquam socios et imitatores habuisti plurimos, neque hoc condonant, quod, ex quibus multum accipiant roboris et firmamenti genuina diplomata, faciliorem suspicionem falsa aut subdita, 2) tam subscriptiones Imperatorum et Scribarum subsignationes. (§. x. ii. 3) quam Titulos, uti vocant, seu Indices afferre neglexeris, 4) corruptum praeterea adeo Codicem secutus, aut 5) operarum nimium indulgens incuriae, ut 6) non modo multipliciter in annorum numeris commemorandis (§. x. iv.) sed infinite etiam 7) in singulis verbis et commatibus vel male transcriptis et depravatis vel omisissis, (§. x. vi.) quin 8) in periodis totis nunc plane avulsis (§. x. iii.), nunc 9) pessime distinctis (§. x. v.) peccaretur.

§. IX.

Aliorum diligentia paulisper emendatus.

Quae inde patriis rebus et auctori nascerentur incommoda, cum viderent Viri Litteratissimi et deplorarent: medicinam nisi toti corpori, singulis tamen membris afferre sunt conati. Nam ipse Auctor colligendi *Secundi Tomi Lusat. Diplomaticae*, ut aliquot diplomata emendatius proferrentur, eodem *Tomo Secundo* c) suscep-

B 2

pit,

tion a. 1562. p. 215. n. XLII. Maximil. n. II. p. 3. coll. T. II. n. 1. p. 1. Reder.
 II. Privilegium wegen der gesammten n. XXIV. p. 119. coll. T. II. n. 27. p. 69.
 Lehenshand a. 1575. p. 230. c) Reder. Red. n. XLII. p. 230. coll. T. II. n. 28. p. 72.

pit, sed praeter neglectum temporis ordinem in hanc incidit vituperationem, ut ne REDERVUM quidem a se emendatum indicaret. Alii in aliis tabulis correctius diligentiusque ex vetustis iisque idoneis exemplis transferendis, operam et laborem posuerunt, cuius generis Viros *binos* nouimus, Virum Excell. BVDAEVM d) *aliumque* e) quem pietatis causa indicare potius, quam nominare dabitur. Fuit denique, qui ante quindecim circiter annos, *Commentariis Dresdensibus* (qui inscribuntur *Dresdnische Anzeigen*) suum iudicium f) de Rederiana in edendis plerisque diplomatibus ratione intereret, quaeque Litterae apud Rederum primo mox loco g) apparent, quamuis initio non ita vilum, reperto meliori exemplo, denuo verius eas perscribendas curaret. Probauit mihi plerumque, quae sentiret, in his vero offendit, quod *Litteras Carolinas Incorporationis* h), quam dicunt, *nouies* modo, cum *quatuordecies* i) ipsi quidem inuenerim, male etiam Foedus Vnionis inter Bohemiam et Saxoniam *ter* tantum iuris publici factum, cum SCHÖTTGENIVS k) iam antea *sexies* l), commemoraret. Neque placuit illa ad *Tomum II Idum Lusatiae Diplomaticae* allata coniectura m), qua *Ladislai Diploma* n) Hexapoli a. 1454. Tributorum causa datum, emendatione ad regionem (Landtschafft) Budislinensem transferret: ut potius existimarem, eiusdem generis et argumenti triplices in eadem causa Litteras a Ladislao esse promulgatas, quarum vnum exemplum fuerit regioni Budislinensi, alterum Gorlicensi, tertium denique Hexapoli, mutato modo in singulis, cui tribueretur, nomine, accommodatum, auctoremque emendandi Rederiani exempli in id incidisse, quod ad Budislinens. Regionem proprie pertineret.

§. X.

Peccasse, exemplis docetur.

Iam meum esse intelligo, vel paucis adductis locis docere, non tam aliena fide, quam meo ipsius vsu, tot tanque varia (§. VIII) in Redero

d) Sing. Luf. P. VII, 1. p. 405-21. P. XV, 1. 213 p. 155 sq. e) Oberl. Beytr. T. IV, St. 30. p. 465. coll. Red. n. I. f) Dresdn. Anz. a. 1750. St. 21. p. 161. g) n. 1 p. 1. Dresdn. A. l. aud. an. St. 33. p. 257. h) ap. Red. n. V. p. 10. i) in Goldastii Constit. Imperial. I. p. 345. Eiusd. Reichsfatzungen II, p. 43. Eiusd. de Regno Bohem. I. App. Doc. p. 83. *Limnaei*

Enucleat. in Addit. c. 16. p. 131. *Mannlii* Lusat. VI, 16. ap. Hoffmann. S. R. Luf. T. I. P. I. p. 308. *Balbini* Miscell. VIII, p. 55. *Lünig.* part. spec. Contin. I. von Böhmen. p. 37. *Idem* von Schlesien, p. 309. *Zwey* Rechtliche Bedenken, p. 186. *Du Mont* Corps Diplomatique I. part. 2. p. 302. n. 353. *Conring* de Finib. Imper. Germ.

Redero mihi et supplenda videri et emendanda. Qui labor etsi legentibus fastidiosus forsitan erit et molestus, iis tamen, qui Rederiana diligentia fructuosius cupiunt uti, nec inutilis, uti spero, nec iniucundus plane, mihi vero gratisimus contigit, occasionem inde nanciscenti, ut ex Codice antiquo et nitidissimis litteris exarato, quem accurate perlustraui, Rederum me habere purgatum prope, certe mutatum omnino et antiquitati restitutum fatear. Codicis, quem sequor, integritatem tum vindicaturus, cum ad abditos Diplomatum fontes rimandos peruentum erit, hoc quidem tempore, Rederum conferentibus cum hac nostra emendatione, ut ipsi, quae probabilior illis videatur lectio, iudicent, largiar. I. Infinita sunt in singulorum elementorum usu, s. Orthographia corrigenda, ita ut hanc partem lubentius praetermittam. II. Neque neglectos, quos Codex commemoratus habet Titulos o) et Subscriptiones p) afferre nunc datur III. Addam potius, quae locorum difficilem alias intellectum iuant, omisissas REDERO formulas integras verborumque comprehensiones. Sic T. I. p. 11 lin. 10 leg. *Videlicet quod dictus Ottocarus Rex eidem Henerico Vratislauensi et Silesiae Duci in casu, si ducem praemori contingeret, praemisso Ducatu Vratislauensi et Silesiae terris et omnibus suis Dominiis deberet succedere, per se factum asserit et in sede ipsarum dicto Henerico duc.* p. 30. lin. 10. ex p. 21. add. *Koenig zu Boehaimb vnderichtet brieflich vnd mündlich, das sie Ezliche begnadungen vnd Freyheiten von vnsern Vorfahren, Koenigen zu Boehaimb gehabt haben, vnd haben vns als einen Koenig zu Boehaimb gebetten etc.* p. 39. l. 9 *geniessen vnd gebrauchen sollen, Inn aller massen als etc.* p. 40 l. 16 *Carln, Koenig Wenzlauen, Kayser Sigmunden vnd Koenig Lasslauen etc.* p. 52 l. 5 *Missbrauchung vnserer Koenigl. Gerichten, dann auch Schmaelerung vnser Capitel etc.* p. 65. l. 13. *Nachkommenden Koenigen zu Boehaimb zu vnser oder vnser Erben vnd Nachkommen etc.* p. 72 lin. vlt. *vernehmbens, samt etlichen*

B 3

Germ. I. II. c. 29. p. m. 706. Reder. Luf. Diplom. n. V. p. 10-15 Hoffmann S R Luf. IV. p. 195. Franz Ferd. Schrötters zweyte Abhandlung aus dem Oesterreich. Staats-Rechte von den Titteln und Erz-Aemtern von Oesterreich. Wien, 1762. 8. Beylag. n. xiv, pag. 299-308. k) Inventar. Diplom. ad a. 1557. l) ap. Gastelium de Statu publ. c. 9. p. 428.

Mueller Reichstags-Theatr Maximil. I. 4. Vorstell. c. 24. p. 280. Luenig p. spec. von Sachsen, p. 87. Du Mont Corps diplomat V. Part. p. 6. Reder Luf. Dipl. n. xxxii. p. 169. Carpzov. Oberlauf. Ehrentempel I p. 100 m) Dresd. Anz. c. I. p. 164. n) T. II N. 16. p. 33. o) Reder. T. I. p. 124 145. 186 215 230. 257. p) lb. p. 119. 133. 196. 204. 222. 259. 262.

eben Doerffern zu denselbigen geistlichen Lehn gehoerig, p. 74. l. 2.
etzliche die Zinsbrieffe mit sich genommen, Etzliche etc. p. 77. l. 3.
Budisfin gericht worden, auch die von Budisfin etc. p. 82. l. 1. Die-
weil sie von vnserm Landstande, soviel Jhr in vnserm Fürstenthumb
Görlitz ges. etc. p. 93. l. 20. vor künfftigen Rechts-Tage zu vbersen-
den, darauff vnns gegen allen Theilen inn vnsern Rechtspruch der
Billigkeit dester bass wissen zu erzeugen etc. p. 96 l. 27. werden,
betten moegen entschliessen. Wann so sie von Landstande entgegen mit
Jhrer Clagen auch weiter verfabren sollen, betten sie wieder etc.
p. 114. l. 22. v. Landschafft vnd nebenn derselben vnser Landschafft.
p. 122. l. 23. allergnedigisten Herren zu einem Landtvoigt bis zu sei-
ner Maj. etc. willen vnd auff derselben wiederruffen angenommen.
Vnd vns zu des genandten, vnser Allergnedigisten Herren etc. p. 129.
l. 22. Der Stende mit vnderthenigster Dancksagung angenommen,
beschehen. Nemblich das die Gesandten an statb der Stende auf etc.
p. 130. l. 9 zu dienen. Doch wan Jhre Majest. Sie also vber die
Graeniez zu dienen erfordern etc. p. 132. l. 6. Stende an vns gethan,
dergleichen der Stende etc. p. 141. l. 3. Deutzschosig vnd desselben
Zugehoer 1 Pferdt. Der Rath zur Sittaw von den Dörffern Har-
scha etc. p. 145. l. 13 erfordern oder ihme sonderliche Geschefte auff-
erlegten, p. 151. l. 18. Instruktion verfertigen, verhafft vnd zu-
stellen lassen, welcher Instruktion. p. 152. l. 16. delunt duae plagulae,
quas huc inferere longum foret. p. 153. l. 21. Stedten derselben
Krayfse vorbeschiede vnd besichtigungen gethan vnd verricht. p. 157.
l. 14. Staedten zu sich gezogen, vnd die Vorbeschiede solcher Form
vnd gestalt, als vor sich vnd die Verordenten von Landt vnd Staed-
ten etc. p. 162. l. 6. Goerlitz nicht vber Sieben vnd dennoch auch die-
selben nicht. p. 179. l. 5. oder aber, da der Gerichtsberr des haltens,
oder auch der Glaubiger des Uncostens sich beschweret, so soll der
Gerichtsberr etc. p. 180. l. 24. Sachen der Underthanen furnehmen.
Es sey inn der Sachen etc. p. 183. l. 14. Sachsen. J. L. Erben, Erb-
nehmen vnd Nachkommende Herzogenn zu Sachsen. ibid. l. 25. hun-
dert Geruster Pferdt, zum lengsten Innerhalb eines Monatsfriest vnd
Drittehalb Tausendt man zu Fuss etc. ibid. l. 26. Tagen, vnd auff
die ander mahnung, wiederumb eines Monatsfriest, den negsten dar-
nach folgenden Abermals 500 geruster Pferde vnd 2500 zu Fuss be-
solt Kriegesvolcks Innerhalb 14 Tagen, vnd wo die Noth etc. p. 194 l. 4.
vnd

und Rathschlege auff den willkürlichen und grossen etc. p. 202. l. 21.
Zum Achten. Do sich zwischen der Buergerschafft Innbemelten Sechs-
Staettenn Irrung zutragen, die soll vnser Landtvoigt zu verrichten
auch schuldig, und im Fall, da er solches allein nit verrichten kundt,
sich alsdan abbemelter Ordnung mit erforderung derer von Landt
und Staetten gemess verhalten. Zum Neunden, soll gedachter etc.
p. 206 l. 3. Geistlichen Heusern und derselben Geistlichen Nutzun-
gen etc. p. 221 l. 11. eingezogen und solcher fall alsbalt dem Landt-
voigt angezeigt werden, der soll etc p. 222 l 27. erklaeret werden
sollen, verfahren vnnnd procedirt werden mag etc. p. 224. l. 20.
R. Belehrung vberschickt werden sollten und solche belernung erfol-
get etc. p. 235. l. 20. Theil der Auffgeliebencn Summenn vnns und
den vierden Theil von solchem halben Theill dem ansager etc. p. 239.
l. 29 Schuldners gemahnet und vorgenommen werden, der Haupt-
schuldener aber loeset und vertritt seine Buergen nicht etc. ibid. l.
vlt. bezahlet und brieff und Siegell an sich gebracht, daraus dann etc.
p. 249. l. 10. Es were dann, das es der Sachen gelegenheitt und do
die hohe etc. p. 254. l. 16. Gefangenen ergangen, den oder die Ge-
fangenen in sein Land folgen etc. p. 257 l. 10. Koenige und vnser
Grohn Roetheimb obgemelten Chur- und Fuersten. IV. Annorum
numerus ita demum recte se habebit, si p. 1. l. 5. 1341. p. 85. l. vlt.
1329. p. 86. l. 1. 1356. p. 101. l. 22. (loco 1500) 1510 et p. 107 l. 29.
1389. legeris. V. Vt perspiciatur, sensum mire turbari, locis ma-
le distinctis, exempla sunt, vel psuca, ALIA, vbi haud diuidendae
dicendi formulae, vti p. 55. l. 10. quae cum l. 11. Also- werden, ar-
tissime cohaeret. p. 64. l. 20 cum l. 21. p. 67. l. 18. verbum: Weich-
bilden, cum sequenti: In sonders etc. p. 71. l. 21. cum l. 22. sollen
oder nicht: Ordnen, setzen etc. p. 73 l. penult. cum vlt. beyhanden.
Sonst etc. coniungenda; ALIA rursus, vbi, vt apertius scriberetur, oratio
interpungenda videbatur. v c. p. 59. l. 20. p. 70. l. 12 richten. So
aber etc. p. 73. l. 23. werden. Dargegen aber etc. p. 75. l. 1. machen.
Vnd nachdem etc. p. 93. l. 1. haben. Vnd dann soviel etc. p. 109. l. 29.
entscheiden. Nachdem vns etc. Noua incipienda commata, p. 71. l. 16.
Damit auch etc. p. 74 l. 18. Geben wir etc. p. 92. l. 18. Also haben,
p. 118. l. 12. Vber dies alles etc. etc. etc. VI. Finem denique inuesti-
gationi, taedii plenae, faciamus, adiecto specimine singulorum
vocabulary et prae mutatorum et intempestiue omisforum.
illius

Illius generis haec habes: p. 49. l. 3. *Luebisch, male Laubanisch.*
 p. 52. l. 3. 4. *vnngleichbeitt - vor Gleichheit.* p. 53. l. 3. *nunmehr-*
mehr. l. 15. *ihnen-ihren* l. 16. *rechtl. - redlicher.* l. 19. *streben - schwe-*
ben. l. 20. *guten-Güthern* p. 53. l. 20. *Dann noch - demnach.* p. 55.
 l. 8. *das - die.* l. 17. *auf - aus.* l. 30. *Luben - Loebau.* p. 56. l. 20. *ge-*
lietten-gebietten. p. 57 l. 1. *Vorkauff - verkauffet.* l. 10. *Also be-*
draengten - als Bedraengten. p. 58. l. 29. *alle mahl - alle wol.* p. 61.
 l. 5. *sich - sie.* l. 6. *was als.* p. 63. l. 2. *gleichermassen - erweisen.* l. 5.
Vnd Ja zu dem allen - vnd ihm zu dem Alten. l. 7. *lautter - lauten.*
 p. 65. l. 1. *von - vnd.* p. 66. l. 18. *schatzen - schuetzen.* p. 67. l. 1. et l. 24.
je - ihr. l. 25. *alle - alte.* p. 69. l. 4. *stath - steht.* p. 70. l. 2. *Nachdem*
sollen - nachdem selben. l. penult. *billiche - Billigkeit.* p. 71. l. 7. *gefer-*
det - gefoerdert. p. 73. l. 5. *uber zweymahl - in zweym.* p. 74. l. 11.
Wiedemuth - wieder. l. 15. *sollte - so bitte.* p. 75. l. vlt. *Landstande-*
Land. p. 79. l. 23. *verlesen - vor Lebn.* p. 80. l. 3. *Obergerichte - aber*
Gerichte. l. 12. 14. 16. *Pann - Poen.* p. 81. l. 4. 5. *die vier - Diener.*
 p. 83. l. 23. *Fcht itzt - ie sitz.* p. 90. l. 15. *possess - boeses.* p. 93. l. 24.
ueblichen - vnbilligen. p. 98. l. 7. *nit Noth - mit N.* *Omisforum vo-*
cabulorum negligentia obest, p. 54. l. 15. *mit mebrem daselbst.* p. 56.
 l. 28. *ihre der Staedte.* p. 59. l. 28. *von Koenigen zu Koenigen.* p. 62.
 l. 3. *mehr Staende vnd Stimmen.* p. 66. l. 7. *Staedten vnd die Staedte.*
 p. 70. l. 8. *Schatzung, wie hoch die etc.* p. 123. l. 21. *Land und Staed-*
te. Sed

Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam.
Nam vitii nullus sine nascitur Auclor . . .



Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1005325 6



SLUB

Wir führen Wissen.

<http://digital.slub-dresden.de/id445675977/20>



GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK